

R. N. *Cons.* Loquitur enim de iis, quæ nubere volunt, ut sit ordinarie cum intentione, vel periculo consummandi matrimonium.

Ad Conf. R. S. Doctor hic de illis loquitur, quæ præcise nubunt propter carnales amplexus, docetque, quod hos non debeant appetere præcise propter concupiscentiam, sed generandam prolem, quod probat ex matrimonii nomine: sic vero non negat posse verum matrimonium esse sine illius consummatione; imo hoc satis affirmat relatus supra de matrimonio beatissimæ Virginis et S. Josephi.

ARTICULUS II.

AN ET SUB QUA RATIONE MATRIMONIUM SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

274. Negant Huss, Lutherus, Calvinus eorumque sectatores moderni hæretici, volentes matrimonium esse solum contractum civilem et politicum. Affirmant contra Catholici omnes, hoc solo opinionum discrimine, quod ex his Doctores aliqui velint matrimonium jam a mundi exordio, in statu innocentie, quando Deus Adamum conjunxit Evæ, fuisse veri nominis sacramentum; in statu autem peccati reparatum fuisse ad veri sacramenti dignitatem dependenter a prævisis Christi meritis, sicque perstitisse usque ad Christum; proinde non fuisse ab hoc institutum primo in ratione sacramenti, sed solum in ea confirmatum. Ita teste Maldonato, multi ex antiquioribus, Petrus Soto, et præsertim ex recentioribus Launois Lib. de Reg. in Matrim. potestate p. 1. a. 2. c. 11. Dum e contra communis cæterorum omnium, qui post Concilia Constantiense, Florentinum et Tridentinum scripserunt, est sententia, matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum, ab ipso Christo primo institutum.

275. *Dico I.* Matrimonium ante legem Evangelicam nunquam fuit veri nominis sacramentum.

Prob. Ex Conc. Trident. quod Sess. 7. can. 1. ita definit: *Si quis dixerit sacramenta novæ Legis (numerat autem inter ea matrimonium) non fuisse omnia a Jesu Christo instituta... anathema sit.* Et Sess. 24. can. 1. de matrimonio in specie: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum; anathema sit.* Ex quibus patet, Christum esse institutorem hujus sacramenti, sicut est aliorum: atqui aliorum fuit primus institutor, et non confirmator; ergo. Deinde latissime differunt confirmare et instituere, et nemo per institutionem intelligere solet confirmationem: atqui juxta Trid. cit. Christus est institutor hujus sacramenti; unde non satis apparet, quomodo Launoii sententia concordet cum Tridentino.

276. *Dices 1º.* Cum Launoio. Ideo matrimonium est sacramentum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia: atqui in omni statu, innocentie, legis naturæ, et scriptæ eam significavit; nam verba illa Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis... propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ,* fuisse ab Adamo prophetice

dicta de futura conjunctione Christi cum Ecclesia, testantur passim Patres, Tertull. L. de anima c. 11., S. Hieron. in cap. 5. ad Ephes., S. Aug. L. 9. de Gen. ad litteram c. 19. Et videtur Apostolus ipse testari ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est... in Christo et Ecclesia.*

R. D. *Maj.* Ideo est sacramentum strictè et proprie dictum, quia illam conjunctionem significat N. in sensu latiori et improprio ideo est sacramentum C. Quia præcise per respectum ad conjunctionem Christi cum Ecclesia est tantum signum speculativum, nec enim hanc conjunctionem efficit; verum autem sacramentum debet esse signum practicum, sive efficiens id, quod significat. Unde solum inferri potest, matrimonium ante legem Evangelicam fuisse sacramentum in sensu latiori, sumendo *sacramentum* pro signo nudo et speculativo rei sacræ. Et sic explicandi sunt Patres apud Launoium. Item c. *Gaudemus*, de Divort. in quo dicitur, *Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existere;* apud infideles enim non nisi in sensu latiori sacramentum est, quatenus etiam horum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; licet minus perfecte, quam matrimonium Christianorum.

277. *Dices 2º.* Cum Deus Adamum et Evam conjungeret, illis benedixit, dicens: *Crescite et multiplicamini* Gen. 1. atqui benedictio illa fuit signum gratiæ pro Adamo et Eva, eorumque posteris; quid enim alias fuerit?

R. N. *min.* Nam etiam prius benedixerat volatilibus et piscibus. Igitur benedictio illa solum fuit ad conferendam fecunditatem.

278. *Dico II.* Matrimonium sub ratione contractus est in lege Evangelica veri nominis sacramentum. Est de fide; ita enim definivit concilium Tridentinum cit. concl. præced. contra ultimos Novatores hæreticos. Idem clare jam ante tradiderat Florentinum in Decreto §. *septimum*, dicens: *septimum sacramentum est matrimonium.*

Prob. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt: 1º. ritus externus, vel signum sensibile; 2º. per se efficax sive productivum gratiæ; alii dicunt: signum practicum; 3º. institutum a Christo. Atqui tria illa habentur in matrimonio.

1º. Ritus externus, vel signum sensibile; conjunctio enim viri et mulieris, quæ fit per verba, vel signa consensum internum exprimentia; verbo: contractus ille externe expressus procul dubio sensibilis est.

2º. Productio gratiæ, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam,...* ita et viri diligere debent uxores suas ut corpora sua... sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, Christi, de carne ejus, et de ossibus ejus... *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Ex quo sic argumentor: Juxta Apostolum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; sed hæc conjunctio est per gratiam; ergo etiam conjunctio conjugalis, viri et mulieris talis esse debet; alioquin enim non posset significare illam conjunctionem Christi. Certe ita ex eo loco Apostoli arguebant Patres Tridentini in proœmio Sess. 24.

3°. Institutio divina; hanc enim Apostolus ibidem innuit, *propter hoc*, h. e. quia sacramentum magnum est, sive representans conjugium Christi et Ecclesiæ, *relinquet homo patrem*, etc. Addunt alii illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Conf. Ex Traditione. Primo ex Patribus e quibus præcipue Tertullianum et Augustinum proferimus, tum quod eorum testimonia sint cæteris clariora, nec ita ab adversariis detorqueri in alienum sensum possint; tum ut pateat falsitas dicti a Calvino L. 4. Instit. c. 19. ante Gregorium M. qui sedit circa finem seculi VI. matrimonium non fuisse agnatum tanquam verum sacramentum. Igitur

TERTULLIANUS L. de Præscript. c. 40. *Ipsas quoque, inquit, res sacramentorum divinarum in idolorum mysteriis diabolus æmulatur. Tingit et ipse quosdam... expiationem delictorum de lavacro repromittit, et sic adhuc initiat mitra; signat in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem... Quid? quod et summum Pontificem in unius nuptiis statuit; ubi inter sacramenta numerat nuptias, et eo modo numerat, quo baptismum et Eucharistiam.*

S. AUGUSTINUS L. de bono conjugii c. 24. n. 32. de matrimoniis infidelium et fidelium ait: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti.* Ubi docet in matrimoniis fidelium esse sanctitatem sacramenti: atqui hic sacramentum sumit strictè; quia ait hoc esse peculiare matrimoniis fidelium, quod habeant sanctitatem sacramenti: *quod autem ad populum Dei, etc.* sed hoc falsum esset, si sumeret sacramentum late pro nudo signo et imperfecto conjunctionis Christi cum Ecclesia; quia hanc speculative etiam significat matrimonium infidelium. Plures textus Patrum Bellarminus exhibet.

Porro traditio illa confirmatur inde, quod matrimonium ab initio Ecclesiæ fuerit celebratum tanquam res sacra, sacris ritibus, præsentibus sacris Ecclesiæ ministris, ut testatur S. IGNATIUS M. vir apostolicorum temporum, epist. ad Polycarpum n. 5. *Decet, ut sponsæ et sponsi de sententia Episcopi conjugium faciant.* TERTULL. L. 2. ad uxorem, circa finem: *Unde sufficimus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?* quibus tria testatur, matrimonium celebratum fuisse in Ecclesia, cum fieret missæ sacrificium; hoc enim significat vox, *oblatio*, et cum benedictione, quæ hodie adhuc vigent. An vero tanta religiositas adhibita semper fuisset, si matrimonium habitum fuisset ut res profana, et contractus mere civilis, ac politicus?

Post Gregorii M. tempora amplius elucet hæc traditio ex decretis summorum Pontificum, ut Lucii III. 1181. relati c. *Ad abolendam*, de hæret. Ex Conciliis, Constantiensi Sess. 15., Florent., Lateran., Trident. cit. Antiquiora Concilia, quæ hanc veritatem aperte definiant, non habemus, eo quod non fuerint hæreses, quæ præcise negarent matrimonium sacramentum esse; Manichæi enim non hoc præcise negabant, sed usque adeo licitas et honestas esse nuptias; ac proinde hoc in iis persequabantur Patres, ut ait Augustinus.

Dixi in concl. *sub ratione contractus*; licet enim quoad hoc conclusio non sit de fide; nequit tamen probabiliter dici, quod sit sacramentum sub

ratione vinculi; quia, si ut tale esset sacramentum, ex Christi institutione sanctificare deberet usu suo et ex opere operato: atqui hoc nullo ex fundamento de vinculo dici potest. Deinde communis est Theologorum sententia, omnia sacramenta, præter Eucharistiam, esse transeuntia; vinculum autem illud est quid permanens. Denique vinculum illud, sive obligatio permanendi in individua vitæ societate est effectus matrimonii contracti.

279. *Obj. I.* Matrimonium non habet essentialia sacramenti novæ Legis; ergo. *Prob. Ant. 1°.* Quod in sacramentis habet rationem signi, debet esse institutum a Christo; sed rationem signi matrimonium non accepit a Christo; nam ante Christum jam erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. 2°. Sacramentum proprie tale est signum efficiens id, quod significat; sed matrimonium non efficit unionem Christi cum Ecclesia, quam significat. 3°. Matrimonium non habet annexam promissionem gratiæ; vel enim causaret gratiam primam vel secundam. Non primam; quia hanc causant sola sacramenta mortuorum. Non secundam; quia alias sequeretur, quod illi obtinerent augmentum gratiæ, qui relicto statu continentiæ, qui perfectior est, contraherent matrimonium, quod est status minus perfectus. 4°. Sacramenta conferunt gratiam, dum perficiuntur: atqui matrimonium non confert gratiam, dum exercetur copula, per quam perficitur. 5°. In omni sacramento novæ Legis hæc tria reperiuntur: sacramentum tantum, res tantum, res et sacramentum simul: atqui hæc non reperiuntur in matrimonio. 6°. Ecclesia nequit immutare substantiam sacramentorum: sed illa quædam mutavit circa substantiam matrimonii; quia in Tridentino consensum ante legitimum, scilicet clandestinum, fecit illegitimum.

R. N. *Ant. Ad prob. 1am.* R. D. *Maj.* Debet a Christo esse primo institutum in ratione signi efficacis et practici C. in ratione signi qualicumque alia N. Ante Christum matrimonium erat signum speculativum futuræ unionis ejusdem cum Ecclesia; Christus vero illud simul fecit practicum gratiæ, ut per hanc viri diligerent uxores, sicut ipse *dilexit* Ecclesiam.

Ad prob. 2am. D. *Maj.* Est signum efficiens id, quod significat speculative N. quod significat practice C. In sacramentis duplex distingui potest significatio; una speculativa, vel objectiva; altera practica: sic Eucharistia duo significat, mortem Christi, et gratiam nutritivam; prior significatio est pure speculativa; non enim efficit Christi mortem, quam significat; ita matrimonium significat primo unionem Christi cum Ecclesia, sed pure speculative, quia illam non efficit; deinde gratiam, sed practice, illam in conjugibus producendo.

Ad prob. 3am. N. *Ant.* Quidquid sit de gratia prima, de quo vid. Tr. de Sacram. in genere; saltem accipit secundam, sive augmentum gratiæ sanctificantis. Nec hoc absurdum dici potest; licet enim continentia perfectior sit matrimonio, si præcise status comparetur cum statu, itaque sit majoris meriti; quia tamen matrimonium habet simul rationem sacramenti, sacramentum vero confert gratiam ex opere operato, ideo continens, si contrahat matrimonium, accipit augmentum gratiæ; licet idem continens, si nuptias propter Deum contempsisset, plus invenisset gratiæ apud Deum, quam sit illa, quæ datur per sacramentum matrimonii.

Ad prob. 4am. D. *Maj.* Dum perficiuntur suis intrinsecis, sive constitui-

vis *C.* dum extrinsecis *N.* Copula vero licet dicatur consummatio matrimonii, hoc tamen non perficit intrinsece; nam fit verum matrimonium, licet nunquam sequatur copula, ut constat ex artic. præc.

Ad prob. 5^m. R. 1^o. Dogma fidei de existentia alicujus sacramenti non dependere ab hac questione scholastica, an hæc tria in omni sacramento adesse debeant; cum ex una parte Christus sacramenta pro suo arbitrio ordinarit; ex altera vero parte quoad hoc nihil definierit Ecclesia; unde licet hæc tria in matrimonio non haberentur, non ideo excludendum esset e numero sacramentorum.

R. 2^o. N. min. Nam sacramentum tantum est contractus, sive consensus mutuus externe expressus, quia significat tantum, et non significatur: res tantum est gratia, quia tantum significatur, et non significat: res et sacramentum simul potest dici vinculum, quia suo modo significatur, scilicet etiam a contractu; et simul, quia est perpetuum, significat, nimirum unionem Christi cum Ecclesia *perpetuam*.

Ad prob. 6^m. D. min. Quædam mutavit circa matrimonium ut est contractus *C.* ut est sacramentum *N.* Nam substantia matrimonii ut sacramenti est contractus legitimus; jam vero licet Ecclesia ad tollendos abusos, et præcavenda varia mala certas condiciones requisierit ad contractum matrimoniale legitimum, scilicet ut fiat coram paroco et testibus, sicque reprobavit contractum clandestinum; nunquam tamen fecit, ut, quod non est contractus legitimus, sit sacramentum matrimonii, quod esset mutare sacramenti substantiam.

280. *Obj. II.* Plures ex ipsis Doctoribus catholicis negarunt matrimonium esse sacramentum, ut Magister sententiarum, Durandus, qui L. 4. dist. 26. q. 3. approbat sententiam quorundam Canonistarum, ut Gaufridi, Hostiensis, Bertrandi, negantium matrimonio inesse vim conferendi gratiam ex opere operato, quod tamen ad sacramentum proprie dictum requiritur; ergo non fuit semper habitum sacramentum.

R. N. Ant. Nam uterque, Magister sententiarum et Durandus, constanter agnovit matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum; prior quidem L. 4. dist. 2. ubi ita loquitur: *quorum (Sacramentorum) alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et ordo.* Posterior vero, sive Durandus in eundem L. 4. dist. 2. q. 2. aperte ait septem esse sacramenta, quorum septimum est matrimonium. Et, *tenendum est absolute, inquit, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, extra de Hæret. Ad abolendam.*

Error igitur Magistri solum erat circa notionem veri sacramenti, cum putaret posse aliquod esse verum novæ Legis sacramentum, quin conferret gratiam, modo aliud ex eo bonum haberetur, ut ex matrimonio, quod dicebat esse *in remedium tantum*. Et hic etiam error fuit paucorum Canonistarum, quos refert Durandus.

Durandus vero nequidem negavit matrimonio vim conferendi gratiam, sed hanc ei positive tribuit L. 4. dist. 2. q. 2. *Alio modo, inquit, potest sumi brevius eorum (Sacramentorum) sufficientia ex parte adjutorii, quod conferunt. Sacramenta enim expediunt nos ad actus virtutum, quæ sunt*

septem, tres theologice, et quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos Baptismus; ad actus spei Extrema unctio; ad actum charitatis Eucharistia... ad actum temperantiae Matrimonium.

Nec approbavit Durandus dictorum Canonistarum sententiam; sed solum contendit, eos non docere aliquid contrarium definitioni Ecclesiæ, vel quod esset hæreticum: *Sunt alia duo, inquit in L. 4. dist. 26. q. 2. circa matrimonium, circa quæ sine periculo hæresis licitum est contraria opinari, quorum unum est theologicum, scilicet utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, etc.* Et recte; tunc enim id nondum clare Ecclesia definierat; igitur tunc contrarium opinari error erat, non hæresis. Unde etiam S. Thomas in suppl. q. 42. a. 3., Bonavent., Sotus, qui cum communi catholicam tuebantur sententiam, eam solum ut probabiliorum, non ut fide omnibus credendam proponunt. Nemo igitur Doctorum e Catholicis negavit unquam matrimonium esse sacramentum, sed tale esse certa erat et indubitata doctrina; licet quidam disputarent, an vel quomodo conferret gratiam, erronee putantes, posse esse verum sacramentum, licet ex opere operato gratiam non conferret.

Ex his etiam colligitur, falsum esse, quod ait Jueninus, temporibus Magistri sententiarum et S. Thomæ Ecclesiam credidisse matrimonium esse sacramentum novæ legis ex traditione non *explicita* quidem, sed *implicita* tantum, quam clare postea tum Florentina, tum Tridentina Synodus explicuere, sic ut hoc dogma per illa Concilia sit factum articulus fidei, qualis ante non erat.

281. *Obj. III.* Non convenit inter Catholicos ipsos, quando Christus instituerit hoc sacramentum; ergo.

R. N. Cons. Etiam quoad tempus instituti baptismi magna est inter Patres et Theologos opinionum diversitas, nec de tempore illo convenit inter adversarios; an ideo baptismus sacramentum non erit? Interim de tempore, quo matrimonium a Christo ad sacramenti dignitatem sublimatum est, triplex est opinio. *Prima* assignat tempus, quo Christus nuptias in Cana sua honestavit præsentia, et illustravit miraculo; pro qua adduci solent S. Augustinus et S. Cyrillus, eo quod prior Tr. 4. in Joan. doceat, Christum ideo nuptiis interesse voluisse, ut castitatem conjugalem firmaret; alter vero Lib. 2. in Joan. c. 2. (opp. t. 4. p. 135. A.) dicat Christum in illis nuptiis sanctificasse conjugium. *Alter* tempus opinatur illud, quo Christus Matth. 19. abrogato repudii libello matrimonium ad indissolubilitatem primam reduxit. *Tertia* tandem post resurrectionem factum existimat, quando Christus per 40. dies in terra conversabatur cum Apostolis varia loquens de regno Dei.

ARTICULUS III.

AN SOLUM ET OMNE MATRIMONIUM FIDELIUM SIT SACRAMENTUM.

282. Multiplex est quæstio: I. An solum matrimonium fidelium sit sacramentum, ita ut ratio sacramenti omnino non conveniat matrimonio infidelium? II. An matrimonium infidelium fiat sacramentum proprie tale